

AB

56676

№ 4001 *

THEOREMATA
DE RERVM NAT-
TVRALIVM PRIMOR-
DIIS INTIMISQVE
PRINCIPIIS:

Ad disputandum proposita

In Illustri Academia IVLIA

Preside

CLARISS. V. D. M. DVN-
cano Liddelio Scoto, Mathematicum
ibidem Professore

&

Respondente

IO ANNE VINCELBERGIO MAR-
chiaco.



HELMSTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno MDCCXCII.

CONSULTISSIMIS ET PRVDEN-
 TISSIMIS VIRIS, EXCELLENTI ERVDI-
 tione, Grauitate, ac meritis in patriam Rempubl.
 clarissimis DD. Coss. & Senatoribus, DD.
 fautoribus suis plurimum
 colendis.

εὖ πράττειν
 εὖ ὑγιαίνειν.



ὄδῳ ἄρ' ἐστὶ, θεῶ ὅτι πλεον ἄμματος εἰσκή,
 ὑψιζυγῶ χροίσις, ἀθανάτω δὲ βροτῶς ἰ
 ἢ θεῶν μελέτη καὶ σκέψις, ἐπικρατίων τε,
 εἰς φύσιν ἢ δὲ τροπὴ τῆς φρενὸς ἡμετέρης.
 Διὸς Ἀριστέλης νοῦ, ταῦτα, κατ' αἴσαν εἶπε,
 φέρτατα τῶν πράξεων ἐμυδροὶ ἀνδρομέων.
 Σκέμματα γὰρ πραπίδων πέλεται μάλα πευκαλιμάων
 ἔργα, φρενῶν τε: θεῶ φρεσὶν ὁμοιῶ ἀνήρ.
 ἐνθεν εὖζων τὸν σκεπτικὸν ἀνδρῶς καλεῦντο,
 ὁξεία τῆς νοερῆς μάσορ' ἐτητομίας.
 Ταῦτα φραζόμενῳ κ' ἰσμὸν ἔγωγε, τίς ἀνδρῶν,
 φημι, ὀνειδύσοι μάσῳα τῆς φύσεως,
 μάσῳα τ' ἀρχάων φυσικῶων, ἢ τίς ἐξοσε
 ἀργαλέηπερ ἐμοὶ εὐαδεν; ἔτις ἄρα.
 ὕμμεσ Ἀριστῆες, λάμπει ὄμματῳ γαρδελεβοαίων,
 δέχθ' (ὡς εὖχομ' ἐγὼ) γράμμα τόδ' εὐμυδέες.
 ἴλατε, ὡ γεραροὶ πατέρες τῆς πατριίδ' αἴης ἰ
 ἴλατε, καὶ Μείσης πάμπαν ὄθεσθ' ἐμέθεν.

Ioannes Vincelbergius
 Gardelebiensis.

HELMSTADT

Excelsior Jaco... Anno 1611

Theoremata

I.



Verum omnis cognitio in doctrinis, quarum sunt principia & causa, ex ijs cognitis recteque positis pendet, & ad scientiam rei procedat: in Physicis quoque principia tot tantarumque mutationum, quae in natura fiunt, determinanda & stabilienda erunt.

II.

Nam praeter illud unicum principium, à quo ipsa natura, & non naturalia quoque creata sive ex nihilo facta sunt, aliqua rebus naturalibus, secundum naturam indita esse principia, quae, certa determinataque lege, mutationis, ortus, ac interitus earum causae sint, Physici non est dubitare. Verum cum de ijs inter omnes non constet, ut, quae & qualia sint, intelligatur, à confusis nobisque notioribus auspiciandum est, & ad naturae notiora ordine progrediendum.

III.

Nihil autem notius esse potest, quam, aut unum esse τὸν Φύσιν ἢ οὐρανὸν principium, aut plura: quòd si unum, aut magnitudine finitum, aut infinitum: si plura, aut numero finita, aut infinita.

IV.

Ac primum unicum naturale principium esse nequit: Nam aut nihil erit, quod hoc principio constet, aut omnia unum erunt, quod absurdum est. Deinde neque mobile: quò enim aut unde moveri debeat? neque immobile: cum omnis natura, quae eo constat, mobilis sit: neque infinitum, cum determinata sit rerum naturalium moles.

V.

Nam quomodo omnia unum erunt? cum in oratione multa sint vocabula, quae procul dubio unum duntaxat ens non significabunt:

A 2.

cabunt: ac unum illud, neq̄ continuatione, neq̄ numero, neq̄ definitione, unum sit: adeoq̄ nihil in natura unum habeatur, quin aliqua ratione plura dici queat.

VI.

Relinquitur ergo plura naturalium rerum esse principia: nec tamen (ut quidam falso existimarunt) infinita: cum finita sit cuiusq̄ rei natura & potentia, ac infinitorum nulla queat esse scientia: sed finita numero, quibus, tanquam primis uniuersalibus causis, rerum naturalium mutationes ac vicissitudines intelliguntur & explicantur.

VII.

Horum generalis notio est, quòd neq̄ ex se mutuò, nec ex aliis prioribus orientur: sed quòd ex ijs omnia.

VIII.

In quorum numero erunt prima contraria, à quibus omnis in natura actio passioq̄ dependet: nam unum alterius non est capax, sed alterum semper pellit: omniaq̄ determinato modo ex contrariis fiunt, & in contrarium intereunt.

IX.

Verùm cum unius generis una tantum sit repugnantia, & unum uni opponatur, duo tantum erunt talia prima contraria, quæ neq̄ contradictoriè, ubi negatio generis & subiecti est neq̄ tali repugnantia, quæ duobus habitibus determinatur, sed ut habitus, cuiusq̄ in subiecto habili negatio, inter sese opponuntur: forma nimirum, & privatio.

X.

Quia verò duo contraria nihil, neq̄ mutuò neq̄ seorsum constituere possunt, omniq̄ actione & passione carent: opus erit tertio principio, ab utroq̄ contrariorum diverso, subiecto nimirum & materia, quæ per vices utrunq̄ recipiat. Hoc subiectum unicuique tantum erit.

Ex qui-

XI.

Ex quibus colligitur, tria duntaxat esse rerum naturalium principia: duo contraria, FORMA, & eiusdem in subiecto habili PRIVATIO: & vnum commune subiectum, MATERIA.

XII.

Hoc ipsum non ex generatione solum, verum etiam ex corruptione patet. Nam in omni generatione, aliud est, quod permanet: aliud, quod interit: tertium, quod advenit ac introducitur. Verum ex eo, quod in mutatione perseverat, materiã videlicet, & illo, quod introducitur, nimirum formã, tanquam ex partibus essentialibus, res naturalis componitur atq; constituitur: sed cum materia per se prorsus inepta sit ad formam adipiscendam, accessu alterius contrarij apta reddetur ac idonea.

XIII.

Quare ex hisce tribus, duo constitutionis erunt principia, quæ rem absolvunt, Materia nimirum & forma, quæ uniuntur, ut actus & potentia: sed quia talis unio sine privationis interventu non fieret, erit Privatio per se quidem transmutationis principium, sed constitutionis per accidens.

XIV.

Est autem materia hæc, non illa propinqua, seu (ut vocant) secunda, ex qua aliquid proximè fieri intelligitur: sed illa, quæ omnem ortum antecedit, ac post interitum permanet, pars illius quod oritur & interit: ac proinde diffinienda erit ὡς οὐκ εἰμένον τῶν τῶν ἐκάστω, ἐξ ἧ γίνεσθαι ἢ ἐνυπαρχόντος μὴ καὶ συμβεβηκός.

XV.

Hæc quia omni formarum generi substrata iacet, nullam habebit propriam, ac ob id non tam perfectã diffinitione, quàm analogiat & comparatione cum aliis rebus, cognoscetur ac intelligetur.

A 3

Deinde

XVI.

Deinde cum potestatem tantummodo rebus tribuat ac largiatur, nihilque per se solitaria constituat: *οὐδὲν ἄλλο* solum erit alteri, quod *ἐν ἐγγράτοις*, hoc est, actum rei impertitur, nimirum formæ. Verum forma potior est, quam materia, & (ut loquitur Aristoteles) *μᾶλλον ἰόδα* ἢ, cum per eam res à rebus distinguantur: ac proinde principium erit, quod essentiam, definitionem, & nomen cuique rei largitur.

XVII.

Eiusmodi unica duntaxat unius cuiusque rei forma essentialis est (licet accidentales queant esse complures) quæ unà cum materia, cui inest, substantiam numero unam, mutationis a se supra nature obnoxiam, quæ Græcis *τόδε τι* dicitur, constituit.

XVIII.

Hæc substantia composita propriè oritur ac interit: principia verò illius (ut vocant) constitutiva, nequaquam: non materia: esset enim hoc modo, priusquam esset, & interiret, antequam interiisset: neque forma propriè, sed ex potestate materiae priuationis interuentu educitur.

XIX.

Copulatur enim ita materiae priuatio, ut ab ea re ipsa non differat: cuius arctissimi nexus gratiâ, perpetuæ formarum vicissitudini substernitur, ac *δυνάμει ἀντιφάσεως* obtinet.

XX.

Proinde Priuatio erit omnis mutationis causa, unde *κακοποιόν* appellatur à Philosopho: cuius notio propria est, quòd sit formæ in subiecto ad suscipiendam formam habili, absentia. Quare absoluta negatio generis & subiecti non erit, sed definita subiecto habili & idoneo, unde *πῶς εἶδεν*, hoc est, forma quodammodo, cum ma-

cum materiam habilitate atq; (ut ita loquamur) idoneitate ac aptitudine ad formas, inficiat, appellari potest.

XXI.

Atq; ita materia formarum vicissitudini substrata, numerabilis existit. Formæ enim materiam in partes diuidunt, & vice versa per materiam sunt & subiectis discriminantur.

XXII.

Porrò cum materia priuationi iuncta, sit unum numero, priuatione q; depulsa, superstes sit atq; incolumis maneat, propius ad naturam τὸ δὲ ἐλάττω accedit, quam priuatio, quanquam neutra reuera sit τὸ δὲ ἐλάττω.

XXIII.

Nam materia per se, quia omni forma destituitur, propemodum nihil est. Quare ut aliquid esse possit, per annexam priuationem, formam, tanquam bonum suum appetit: Verum quia, ut à priuatione liberetur, ipsa prorsus est inefficax, efficaciæ formæ se perficiendam subiicit, cum melius sit esse quam non esse.

CORONIDES.

I.

AN quatuor Elementa, vel vnum saltem aliquod ex illis, rerum naturalium dici queat principium.

II.

An Melissi opinio, ac rationes omnes de vnico principio, DEVM respiciant, eiq; conueniant.

III.

An DEVS naturale principium dici possit.



IOAN. VINCELBERGIO IUVENI
solertissimo salutem,
amorem.



Usquam tecta latet virtus, grave pon-
dus egestas

Hanc licet, & fannis improba lin-
gua premat.

Emergit retegente die, animusq; FE-
RENDO

Fortis, ET assiduus vincit AGENDO labor.
Quare age, desuda spatiū hoc immane laborum,
Invictum durā expertus arenā animum,
O juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem
Gloria. Per præceps gloria vadit iter.
Sed neq; tam altum quid Naturā & Numine fa-
ctum,
Quò eniti virtus non aliquando queat.

M. Samuel Scharlach.



de
ar.
ne
er
en
b;
ß/
as
ch
it
as
at
n:
m
n:
so
st
ee
er
en
a
n
el
E
nd
fe
en
es
zu
er
en
en
er
ste
th
rn
es
hr
e/
ib

56676

AB: 56676

ULB Halle 3
003 261 476



56.





N^o 40

N^o 40



B.I.G.

Farbkarte #13

THEOREMATA
DE RERVM NAT-
TVRALIVM PRIMOR-
DIIS INTIMISQVE
PRINCIPIIS:

Ad disputandum proposita
In Illustri Academia IVLIA

Præside

CLARISS. V. D. M. DVN-
cano Liddelio Scoto, Mathematicum
ibidem Professore

&

Respondente

IO ANNE VINCELBERGIO MAR-
chiaco.



No 4002 *

HELMSTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno MDCCXXII.

